



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Jn Caput XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

In Caput XVI.



ST hæc altera huius historię pars : cui in apographo Bambergensi ista inscriptio præmittitur. Incipit de miraculũ S. Kunegundis Virginis & Martyris. Præfatiuncula deest in Cod. Rebdorffiano : Exstat autem in editione Suriana, & apographo Bambergensi.

In Caput XVII.



Gitur dum hæc tam Cleri) In Apographo Bambergensi fufius & distinctius hæc percensentur. Igitur, dum hæc cum solennitate Cleri & populi deuotione agerentur ; quidam contractus in suburbio de hospitali S. Egidij adductus, sanitatem postulabat, & misericorditer exauditus, quod postulauit, obtinuit. Dum signorum fama totum Babebergensem locum resperisset, contractus de domo Conradi Præpositi maioris Ecclesie, sanitatem affectans : & quamuis natura in membrũ eius aberrasset ; tamen, prout potuit, velocius reptans, venerabili sepulcro se ingessit ; vbi à Domino salutem optatam inuenit. Audiens hoc etiã contractus de domo Othonis in eadem Ecclesia Canonici, venit quantocius ad locum sepulcri, sperans sibi ex beneficio gratia, sicut ceteris, subueniri ; vbi sine mora subuentum esse in Christo testatur. Iterum vt in prædicta virgine virtus mira sanctitate elucesceret ; alius qui simili morbo membrorum naturali sensu perduto gressu carebat, adiutoria curationis expetens : celerem sanitatis effectum sentiebat.

In Caput XVIII.



Vlier Paralytica) Apographum Bamberg. Mox omni populo laudes Dei personante, quedam paralytica mulier, incolis prædicti loci haud incognita ; vim superni medicaminis postulans cum lacrymis optatum inuenit auxilium. Audiens hæc alia femina, vno pede claudicans, quæ secularem habitum lugubri veste mutauerat, tarditate debilitatã quamuis impediretur, ingressa est, & spem sanationis, quam ardenti desiderio habebat animo infixam, plenam salutem inueniens, concito cursu ambulabat. Porro
dum